



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

11. In Deo etiam esse justitiam distributiuam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

ait, vel remunerat. Si inuenit malum, plectit; ignoscit & extol-  
lit, si inuenit pœnitentem. Hoc promisit, hoc seruat. Stat ver-  
bum, manet pactum.

Hinc neque de *iustitia distributiua* potest dubitari. Nam  
Deus etiam constituit æqualitatem inter proportionem præmio-  
rum, & proportionem meritorum; facit enim, vt illa proportio  
sit inter præmia, quæ est inter merita. Quemadmodum enim,  
tanquam sapiens architectus, cum Mundum conderet, singulis  
rerum naturis conuenientissimè, prout cuique congruebat, suas  
debitas qualitates & ornamenta distribuit; ita partim in hac, par-  
tim in altera vita, distribuit præmia, seruata proportione merito-  
rum; seruataque iustissima, inter proportionem præmiorum, &  
proportionem meritorum, æqualitate. Quantum enim excessit  
Fides, Spes, Charitas, ceteræque virtutes Deiparæ, virtutem  
S. Francisci, tantum etiam gloria illius, gloriam S. Francisci an-  
tecellit. *In domo Patris mei mansiones multe sunt*, ait Remunerator  
noster. Et Apostolus illius: *Alia claritas solis, alia claritas lune,*  
*& alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate. Sic &*  
*resurrectio mortuorum.* Ex quo loco S. Hieronymus, & S. Augusti-  
nus demonstrant, non tantum gloriosam Sanctorum resurrectio-  
nem, sed etiam præmiorum in cælo disparitatem, prout hinc quo-  
que disparia sunt semina meritorum: & prout etiam homines  
diuersa præmia bene merentibus dispensant. Alia erat olim, apud  
Romanos, corona ciuilis, alia castrensis, alia muralis, alia naua-  
lis; denique alia laurea, alia aurea; sicut & ex alia aliâque mate-  
ria, apud Græcos, coronæ Olympionicarum. Cur non & Deus  
diuersorum operum labori, diuersa præmia proponeret persolue-  
rétque?

Alexander S. Magthildis virginis filix regis Scotiæ frater  
defunctus tanquam Sanctus colebatur. Quare Monacho fistula-  
tum ex ulcere pectus habenti, atque ad tumulum eius, pro sani-  
tate, oranti se visendum præbuit aliquando; species illi erat hu-  
manâ augustior. Nam velut solem indutus clara in luce refulsit:  
vtq; maius esset lumen, duplici coronâ radiabat. Alterâ caput,  
erat insignitum, more regio: alteram manu gestabat. Non po-  
tuit Monachus abstinere interrogatione, Alexandro, in hunc mo-  
dum, conspecto; sed illico quæsiuit, quid corona sibi vellet? Cui  
Alexander, *Corona*, inquit, *quam gesto manibus, corona extitit tem-*

XI

Ioan. 14.2.  
1. Cor. 15.4.

S. Hieron.  
lib. 2. contr.  
Iouinian.  
S. Aug. lib.  
de S. Virgin.  
cap. 26.  
Gell. l. 5.  
Noct. c. 6.

XII.

Thom. Can-  
tipr. lib. 2.  
Apum, c. 10.  
§. 4.

E

po-